

S C H O L A E
S E M E S T R E S ,
IN
C A E S A R E A U N I V E R S I T A T E
L I T T E R A R I A ,
Q U A E D O R P A T I C O N S T I T U T A E S T ,

A D . xvi. IAN. USQUE AD ix. JUN. ANNI ccccxxiii.

H A B E N D A E ,

I N D I C U N T U R

A

R E C T O R E E T S E N A T U A C A D E M I C O .

P R A E M I S S A E S U N T

D U A E R U H N K E N I I E P I S T O L A E I N E D I T A E .

D O R P A T I ,

E X O F F I C I N A A C A D E M I C A I . C . S C H Ü N M A N N I .

Beck's Allg. Repert. der Lit. für 1823. no. 16. S. 293:

"Witten. Staatsrath und Prof. Morgenstern zu Dorpat sind:
diese Ruhnkenii Epistolae ineditae als Einleitung zu den Vorlesungen
vom 16. Januar bis 9. Jun. d. J. bekannt gemacht worden (Dorpat b.
Schünemann gedruckt.) Dreyde Briefe sind an den Prediger Brandan
Ludolf Raphelius (den Sohn des bekannten Erläuterers des N. Testt. (S. 294
aus Herodot. Xenophon, Polyb. und Strianus) gerichtet 10. März und 9.
Dec. 1745. und betreffen vornehmlich die neue Ausgabe von des Geo. Ra.
phelius Annotatt. in S. Scr. die der Sohn befoigte zu Leiden 1747.
So wie in der Einleitung von Ruhnenk's bisher edierten Briefen und
den Sammlungen seiner Briefe, die angekündigt oder gewünscht worden
sind, Nachricht ertheilt wird, so in einer Nachschrift von jenem
Werke Raphel's und seiner Ausgabe des Strianus."

anum eisfoliis, metuens quibusq; securis dñe plementis
et c. T. B. et q; uis in mense Euentu*m* ad 10. A. u. Euentu*m* ad
mense offert, (e) transversa tunc exposita inter
interiorum scilicet Antiquorum etiamq; dae cunctis
Hesitatis peregrinatio sibi tunc
encastrum in secundum existimat, (2) en
mense agit, ut haec iugularisq; amboq; modis est
etiamq; obiectis.

COMMILTONIBUS HUMANISSIMIS

S. P. D.

CAROLUS MORGESTERNIUS.

Quam moliebatur is, qui *DAVIDIS RUHNKENII* vitam diserte atque eleganter enarratam dedit, *DANIEL WYTTEBACHIUS*, epistolarum praceptoris atque amici editionem ¹⁾), eam ipsius morte (obiit m. Ian. 1820) esse praeventam, nobiscum dolebunt quicunque haud ignorant, quam accurate, sapienter atque erudite, ut solebat, hac etiam provincia functurus erat senex praeclarus. Iisdem vero hac spe frustratis non ingratus certe esse potuit nuntius allatus de *FRID. TRAUG. FRIEDEMANNI* consilio ²⁾, novam Opusculorum Ruhnkenii oratoriorum et criticorum syllogen parantis et Leidensi et

1) vid. Bibl. crit. Vol. III. P. III. p. 156, 157 et P. IV. p. 91—95. Pag. 92 narrat, nonnisi septem Ruhnkenii Epistolas aliorum beneficentia ad se pervenisce; quod quis miretur, qui legerit in Vita Ruhnkenii, ed. Leidensi p. 232, 233: „Nec quisquam fuit e nostratis literarum princeps, cui tam frequens cum exteris eruditis epistolarum consuetudo intercederet“ et rel. Addit vero ille, in manibus se habere fere octoginta epistolas Ruhnkenii ad se scriptas, inde ab initio notitiae, usque ad illius vitae exitum. Utinam igitur hae Lugduni Batavorum mox edantur, adiunctae Vitae egregii Dan. Wytttenbachii, quam a laudato laudati viri discipulo perscriptam avide exspectamus.

2) Cuius conf. Praefationem Orationum *TIB. HEMSTERHUSII*, separatim editarum Viteb. 1822. 8.

Londinensi, quae utraque a. 1807 prodiit, pleniorum, epistolis maxime locupletatam, quarum unam ad Io. Aug. Ernestium et duas ad I. D. Ritterum scriptas iam evulgavit Friedemannus ³⁾, multo plures eidem Rittero inscriptas, ab Alsmanno, Professore Vitebergensi, secum communicatas ⁴⁾, viginti praeterea ad Heynium datas, Heerenii beneficio sibi traditas ⁵⁾, cum aliis quibusdam rebus ineditis mox in lucem emissurus, ac ne illas quidem neglecturus praestantissimi Philologi ad Io. Aug. Ernestium epistolas cum aliis schedis Ruhnkenianis maximam partem criticis, quas nuper edidit *Io. AUG. HENR. TITTMANNUS* ⁶⁾; non magis, spero, quam Ruhnkenii ad Kantium litteras quae leguntur in libello *RINKII* ⁷⁾, aut epistolium illud eidem Rinkio inscriptum ⁸⁾, aut epistolam ad Iac. Vaassenium, a *CHRISTOPHORO SAXIO* Onomastici litterarii Mantissae recentiori, quae a. 1804 Trai. ad Rh. lucem vidi, insertam. Ad hanc doctissimi Friedmanni syllogen ut, si quid habeant, conferant, quum iam publice invitentur homines ⁹⁾: opportune me facturum putavi, si duas Ruhnkenii epistolas, quod sciam, ineditas, quas multis abhinc annis ex autographo descriptssem, hoc loco communicarem cum iis, qui Wytenbachio crederent ita dicenti ¹⁰⁾: „Interest literarum, interest studii elegantiarum et stili Latini, ne unam quidem sententiam, accurate conscriptam intercidere illius omnibus laudati viri, qui inde a renatis bonis studiis unus in paucis eleganter

3) Vid. Bibl. crit. Hildes. (Krit. Bibliothek für das Schul- und Unterrichtswesen, herausg. von GOTTFR. SEEBODE, Hildesh.) 1821. P. 9., p. 746—752.

4) Conf. Bibl. crit. Hildesh. 1. c.

5) Harum notitiam debemus Censori anonymo in Suppl. Ephem. litt. Hal. (Ergänz. Bl. zur Allg. Litt. Z. 1822. no. 155.)

6) *DAV. RUHNKENII, LUD. CASP. VALCKENAERII* et aliorum ad *Io. AUG. ERNESTI* Epistolae etc. Ex autogr. edid. *I. A. H. TITTMANN*. Lips. 1812. 8.

7) *TIB. HEMSTERHUYSEN* und *DAV. RUHNKEN*. Biogr. Abriss ihres Lebens bearb. von *FR. THEOD. RINK*. Königsb. 1801. 8. p. 267—271.

8) Ibid. p. 276, 277.

9) Ut a censore illo anonymo, quem significavimus annot. 5;

10) Bibl. crit. Vol. III. P. III. p. 156, 157.

scribendi facultate excelluit“, alioque insuper loco ¹¹⁾): „Nos affirmare haud veremur, has epistolas quamvis plerumque familiariter festinanterque scriptas, tamen eamdem, quam cetera eius scripta puritatem, perspicuitatem, urbanitatem referre, ac dignas esse, quae Mureti, Manutii, et ipsius Ciceronis epistolis comparentur“. Verum de hac utraque ad Raphelium epistola aliorum esto iudicium, an tanto nomine omnino haud indigna habeatur. „Nam me quidem“ (liceat enim vel hoc loco repetere, quae m. Mart. 1811 ad Virum eximum, qui utinam diu porro studia philologica in primis et tueatur et ornet, privatim scribebam; quum easdem ei litteras ad alium usum descriptas missem) „fateor subinde mirari, quum plurima pars viorum eruditorum, atque adeo eruditissimorum, litteris quibus negotia tractant, nihil fere prodat, quod praeter res, de quibus agant, lectores possit morari, quam manifestas indolis suae notas impriuant, quamque argutos sui indices relinquant vel minimis chartulis illa ingenia, quae capitalia perhibentur atque in suo genere locum obtinent principem. Cuiusmodi notas atque indices ne in his quidem duabus epistolis ego plane desidero, ut potius mihi easdem relegenti viva recurrat Viri summi, quem Tu Leidae coram vidisti, imago illa, in qua severi Critici supercilium probi viri bona conscientia, constantia, antiqua religione, veraeque nec fucatae humanitatis decore mire temperatum apparet. Quam imaginem a Chalcographo Batavō magna fide eleganter redditam saepe olim . . . apud Te intuebar, tum quum Te lautissimo illo Tuo apparatu litterario circumfusum non raro visendi gratissima illa dabatur, opportunitas, cuius unquam oblivionem capturam me Tu ipse negabis“. At missis ambagibus, quibus nostro indulgebamus animo, rem exhibuisse praestabat.

11) Ibid. Vol. III. P. IV. p. 92, 93.

I.

PLURIMUM REVERENDO DOCTISSIMOQUE VIRO,

BRANDANO LUDOLPHO RAPHELIO,

DIVINIORIS VOLUNTATIS INTERPRETI DIGNISSIMO,

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Ita mihi velim, quae opto, obtingant, ut Tuae me literae incredibili quadam voluntate perfuderunt. Cum enim quaelibet aliae, tantum spei ostendentes, mihi gratis simae fuisent, tum vero hae fuerunt eo acceptiores, quod ab illo profectas esse videbam, ad quem et virtutis paternae, et omnium eorum, quorum nos desiderio tenemur, hereditas pervenit. Tu igitur, Vir venerande, cuius ego eximiam humanitatem quibus verbis collaudem, non invenio, quicquid superest paternarum accessionum, quicquid dissertationum ad Philologiam sacram pertinentium, quicquid denique libellorum tanti auctoris nomine dignorum, ad nos, ut humanissime annuisti, quam primum, quaeso, transmittendum cures. Quibus si imaginem praestantisimi viri adjunxeris, erit, de quo nobis etiam atque etiam gratulemur. Equis enim est, qui non vultum ejus videndi noscendique studio efferretur, cuius politissima scripta manibus non tam tenet, quam terit, quemque inter eos, qui aetate nostra sacris literis florentioris Graeciae decus adjecerunt, tantum non principem ponit? Hinc nihil neque bibliopola noster, neque dexterimus hujus regionis artifex intermittet eorum, quae ad effigiem patris Tui scite affabreque exprimendam pertinere videantur. Ipsum quidem annotationum opus, ut, unde digressus sum, redeam, duos in tomos dividetur, quorum altero Annotationes in V. T. et Evangelistas, altero Annotationes in Actus Apostolorum reliquamque partem N. T. continentur. Ut vero nihil omnino in eruditissimi viri scriptis mutare sustinemus; quam Deus insaniam a nobis prohibeat, ut prohibet certe: ita nobis pace Tua, pace etiam, credo, manum τοῦ μαναγέτον, ordinem Annotationum ratione ea, quam subjectum specimen declarat, summis immutandum. Neque id facere ausim arbitrio quodam meo, sed ductus auctoritate et Tiberii Hemsterhusi et Joannis Alberti, summorum hominum, et in his literis paene divinorum. Neque vero dubitari potest, quin pater Tuus, si omnes

eodem tempore Annotationes foras dedisset, eundem sibi ordinem eligendum putasset. Est profecto cuivis lectori aliquanto accommodatius, quid Herodotus, quid Xenophon, quid Arrianus, quid denique Polybius ad locum aliquem illustrandum contulerit, velut in una tabula obtutu uno contemplari, quam tria volumina, ut disjectas dissipatasque Annotationes conquerat, insigni cum taedio, nec minori temporis jactura excutere et pervolutare. Denique Tu, Vir plurimum venerande, maximopere a nobis rogandus es, ut et vitam patris Tui paulo fusiū conscribas, et totum opus luculenta praefatione ornes. Quae certe praefandi provincia neque mihi, neque ulli alii, superstite adhuc Te, optimi parentis eruditissimo filio, conveniret. Nos quidem de Te egregia omnia exspectamus, memores illius Horatiani: Et bonis est in juvencis, est in equis patrum virtus. Nostri cetera. Neque illud nos augurium unquam fallet. Sed ut his in rebus et temporis Tui ratio habeatur, et muneris, quod sustines, gravissimi: bibliopola Tibi illud trium mensium spatium, per quod Annotationes prelum exercent, ad vitae historiam praefationemque concinnandam concedit. Si quid interea occurrit, de quo in antelogio admoneri, lectoris refert, id Tibi industrie a me, ut decet, prescribetur. Interim vale, Vir plurimum reverende, nobisque illud praecclare de nobis Graecisque literis merendi studium conserva. Lugduni Batavorum. d. 10. Martii. MDCCXLV.

II.

PLURIMUM REVERENDO DOCTISSIMOQUE VIRO,

B R A N D . L U D O L P H . R A P H E L I O

S. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Serius aliquanto, quam vellem, literis Tuis respondeo, cum variis, quibus distineor, negotiis, tum maxime itinere aliorum suscepto impeditus. Nunc cum rursus aliquid otii nactus sim, putavi certiorem Te esse faciendum, non solum praefationem et vitam, sed imaginem etiam parentis Tui recte ad nos pervenisse, neque nulla nos perfudisse voluptate. Inprimis mihi arriserunt ea, quae erudite et eleganter disputas ad illum Johannis locum. Neque est dubium, quin omnium, qui de his rebus judi-

care poslunt, punctum sis latus. Sed non aegre feres, qua es humanitate, Vir plurimum Venerande, me in ultimo praefationis Tuae paragrapho et nomen meum, quod nimiis laudibus ornasti, delevisse, et alia nonnulla, quae ad rationem editionis nostrae declarandam spectare putavi, mutasse. Evidem tantum studii et industriae in emendandis et digerendis parentis Tui Annotationibus posui, ut, si nomen meum vel in ipsa libri fronte legi paterer, minime impudenter fecisse viderer. Sed scito, hunc a me labore, non ut ullam inde gloriam auccuperer, sed ut tum animo meo Graecarum literarum amanti, tum etiam precibus bibliopolae obsequerer, esse suscepimus. Accesit, quod hanc meam operam non ingratam esse viderem Batavorum Eruditorum longe Principi, Ti. Hemsterhusio, cui omnia mea minima maxima probari cupio. De cujus erga patrem Tuum, τὸν μανυγίρην, studio ego publica, quae in Notis ad Lucianum exstant, testimonia proferre possem, satis tamen, ut credas, erit dixisse, Summum hunc Virum patris Tui, Viri, ut ipse dicere solet, candidi et erudit, amore captum, non subterfugisse, dum ego abessem, ingratum et fastidii plenum corrigendi laborem. Cum igitur ille in partibus, quas ipse emendavit, diligentiam praestiterit mirificam, nec ego in partibus reliquis minorem, spondeo, hanc editionem tam castigatam esse futuram, ac si ex Stephaniana aliqua aut Elzeviriana officina prodiisset. Poteram primum Annotationum Volumen, cuius nunc tantum titulum mitto, jam integrum ad Te allegare. Sed, ut sumtibus parcerem, omnia, quae Tibi transmittenda sunt, ad finem Voluminis secundi reservanda duxi; quod ego Mense Mart. aut April. prelum relicturum spero. De Arriani editione, quod doleo, spes fere omnis decollavit. Nimurum Batavia tot Blancardi et Gronovii editionibus abundat, ut nemo bibliopolarum, quos semper impuros lucripetas esse nosti, ad hunc Auctorem denuo excludendum adduci posit. Velle mihi ipsi res tam lauta esset domi, ut opus hoc ab heredibus emptum Bibliothecae meae inserere liceret. Fortasse enim alio tempore aliove loco paratiorem offendere bibliopolam, qui partum ingenii tam elegantem a tenebris, quibus aliquoquin premitur, sempiternis vindicaret. Ac licet vix ferant rationes meae, offero tamen heredibus nummos tres aureos cum exemplaribus nonnullis, si quando opus typis exscribatur. Tu vero, Vir plurimum Reverende, quid iis videatur, mihi rescribe, et, quod facis, favere perge. Etiam atque etiam vale. Dabam Lugduni Batavorum. d. 9. Decemb. MDCCXLV.

DABARINERIUS

Habetis, Commilitones, magni Philologi epistolas accurate descriptas ita, ut vel singularum litterarum usus, ut j, sf, quemadmodum in MS. exstat, sit retentus. Librum, de quo sermo est, in Bibliotheca nostra academica non frusta quaesiveritis. En titulum: „*GEORGII RAPHELII*, Eccles. Luneburgensium Superintendentis, *Annotationes in Sacram Scripturam, historicæ in Vetus, philologicae in Novum Testamentum, ex Xenophonte, Polybio, Arriano et Herodoto collectae*, ante quidem seorsim editæ, nunc in unum corpus redactæ atque ad ordinem locorum Sacri Codicis magno cum Lectorum emolumento adcommodatae. Praefatus est *BRANDANUS LUDOLPHUS RAPHELII G. F.* Editio nova prioribus auctior, et multo emendatior. Lugd. Bat., ap. Ioh. Arn. Langerak, 1747“, duobus Tomis formæ octonariae maioris. Tomus I. continet Brandani Ludolfi Raphelii G. F. Praefationem foliis XVI descriptam; Vitam G. Raphelii cum catalogo scriptorum Raphelianorum et in lucem editorum et in MS. adhuc latentium, fol. XIII; Dedications et Praefationes Auctoris singulis libellis olim praemissas, quae foliis XLIX. absolvuntur; imaginem M. Georgii Raphelii (nat. Lubenae Siles. d. X. Sept. a. 1673. denat. d. V. Iun. 1740. aetat. 66. I. H. Brandt pinxit Luneburg. I. v. d. Spyk sculpsit); Annotatt. philol. histor., p. 1—679. Tomus II. Annotatt. philol., pag. 1—802. Sequitur „Semicenturia Annotatt. philol. in N. Test. maximam partem ex Eusebio collecta“ (tertium auctior ex Auctoris autographo edita, p. 1—20). „Accedunt Io. Chrysostomi Commentarius et Homiliae in Epistolam Pauli ad Philemonem, cum nova Interpretatione Latina et Annotat. G. Raphelii. Nonnullas Observationes adiecit *TIBERIUS HEMSTERHUIS*“ (p. 21—80). Non deest Index verborum, foliis XVI. Locus Ioannis a Brandano Ludolpho Raphelio in Praefatione ita explicatus, ut ipsius Ruhnkenii suffragium auferret interpres, hic est III. 13: Οὐδεὶς αὐτοῖς βῆκεν εἰς τὸν οὐρανὸν, εἰ μή ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβὰς, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, ὁ ὃν ἐν τῷ οὐρανῷ. Vitam Georgii Raphelii non a filio conscriptam scitote, sed ab amico, cui, ut ipse adulatio[n]is notam effugeret, suggessisset materiam. Quod in Praefatione se delevisse narrat in altera epistola Ruhnkenius, nomen suum, nusquam quidem id appareat; relicta haec tantummodo verba: „postquam Philologicas beati Patris mei Annotationes ex Xenophonte, Poly-

bio, Arriano et Herodoto, olim seorsim collectas et editas, conjunctim sub prelum revocandi consilium mihi aperuit Vir quidam varia excellentique eruditione conspicuus.“ Quae de Arriani editione in eadem epistola significantur, spectant haud dubie ad librum, a Ge. Raphelio iam a. 1709 paratum, diu post illius obitum ab eius genero, *CONRADO ARNOLDO SCHMIDIO*, demum in lucem prolatum: „*Arriani Nicomed. Expeditionis Alexandri libri VII. et Historia Indica. Gr. et Lat.* cum adnotatt. et indice Graeco locupletissimo *GEORGII RAPHELII*. Accedunt *Elogiae Photii* ad Arrianum pertinentes, cum lectt. variant. *Dav. Hoeschelii*: summaria librorum disticta et emendata: index rerum accuratiss., nec non tabula geographica expeditio-
nis Alexandri. Amstelaed. 1757.“ 8. De qua editione conf. *HARLES. ad Fabric. Bibl. Gr. Vol. V. p. 98.*

Novas ad scholas Vos, Cives Carissimi, ut soletis, alacres accedite, easque strenue obite. P. P. in Vnivers. litt. Caesarea Dorpatensi, m. Ian.
ccccxxiii.

I. SCHOLÆ THEOLOGORUM.

HERMANNUS LEOPOLDUS BOEHLENDORFF, D., a Consil. Imperii, Ord. Theol. h. t. Decanus, Theologiae practicae P. P. O., 1) *Institutioni catecheticae* impendet horas tres dieb. Lun., Mart. et Iov., hora XI—XII, ad ductum *I. G. Schmidii* (libro manuali catechetico, edit. sec.) 2) *Epistolas pastorales ad Timotheum et Titum* datas interpretabitur indeque *Theologiam pastoralem* derivabit, praæcepta pastoralia *Io. Ge. Rosenmuelleri* respiciens, ter per hebd. h. IV—V. 3) *Pericopas nonnullas evangelicas et apostolicas*, methodo exegetico-practica usurus, explicabit semel per hebd., die Ven. h. IV—V. 4) *De festis Christianorum diebus eorumque origine historica* disseret lingua Latina, *Baumgartenio* duce, die Ven. h. XI—XII. 5) In *Seminario theologico Colloquia dogmatica Latina* continuabit die Merc. h. XI—XII, *exercitationes homileticas* instituet eodem die h. IV—V, reliquorum etiam Theologiae cultorum tentamina, occasione oblatæ, moderaturus.

LAURENTIUS EWERS, D., a Consil. Imperii, Theologiae dogmaticae et moralis P. P. O., Ordinis S. Annae Eques secundae classis, 1) *Criticam Isagogen in Nov. Test.* proponet, *Haenleinio* duce, sexies p. hebd., h. IX. 2) *Dogmatics alteram partem* duce *Moro*, ut solet, cum Historia præcipuorum dogmatum fidei coniunctam, sexies p. hebd., h. X. 3) *Überiorem Introductionem* dabit in *Theologiam revelatam*, ad dictata sua, sexies, h. II, eamque gratis.

CHRISTIANUS FRIDERICUS SEGELBACH, D., a Consil. Collegiorum, Historiae ecclesiast. ac Litteraturae theologicae P. P. O., 1) *Historiae ecclesiasticae partem posteriorem*, ad *Schroeckhii* librum a *Marhenckio* denuo editum, quinques narrabit, h. III. 2) *Chronologiam sacram explanabit*, *systema I. G. Franckii* chronologicum fundamentale potissimum secururus, ter, dieb. Lun., Mart. et Merc., h. XII. 3) In *Seminario theologico exercitationes historicas* ad res Ecclesiae spectantes moderabitur, atque etiam *catecheticas*, in explicatione Catechismorum Ecclesiae evangel. symbolicorum versantes, instituet et diriget, die Iov., h. XII.

SAMUEL GOTTLIEB RUDOLPHUS HENZI, D., a Consil. Aul., Exegeticae et LL. OO. P. P. O., 1) *Acta Apostolorum et nonnullas Epistolarum Pauli minorum* explicabit, quinques, h. IX. 2) *Jesaiæ selectorum capitum interpretationem* continuabit, bis, dieb. Merc. et Ven. h. IX. 3) *Hebraicam linguam* docebit secundum *Gesenii Elementa*, ed. V. (Hal. 1822), bis, dieb. Mart. et Iov., h. IX. 4) In *Seminario theologico* et *commentationibus catecheticis* in *Pericopas evangelicas* habendis praæerit et Latine de rebus exegeticis scribendo et disputando exercebit Sodales die Sat. hor. VIII.

II. SCHOLAE IURISCONSULTORUM.

CHRISTOPHORUS CHRISTIANUS DABELOW, D., a Consil. Aul., Ordinis domus Magn. Hass. Duc. Eques, ICtorum h. t. Decanus, Iuris civilis etc. et Iurisprudentiae practicae P. P. O., 1) *Institutiones* tradet ad libellum suum, quinquies p. hebd., h. IV. 2) *Pandectarum* cursum alterum emetietur, quinquies, h. V. 3) *Ius hereditarium* et *Ius obligationum* singulatim exponet, bis, dieb. Iov. et Ven., h. VI.

IOANNES GEORGIUS NEUMANN, a Consil. Collegiorum, Ordinis S. Annae secundae Classis Eques, Iuris Russici P. P. O., 1) *Ius Imperii Russici* ad dictata explicabit, sexies p. hebd., h. XI. 2) *Antiquiorem Iuris Russici historiam* enarrabit ad dictata sua, sexies, h. XII. 3) *Ordinem iudiciorum et civilem et criminalem ex legibus Russicis* exponet, quater, h. VI.

FRIDERICUS LAMPE, a Consil. Aul., Tribunalis academici, quo appellatione certatur causaeque recognoscuntur h. t. Praeses, Iuris publici et gentium ac Politices P. P. O., 1) *Respublicas Europeas* comparabit duce *I. Ch. Bisingero*, quinquies, hor. IX. 2) *Ius ecclesiasticum* tradet duce *G. L. Boehmero*, quinquies, h. X. 3) *Iuris Livonici, Curonici et Esthonicci historiam* narrabit, quinquies, h. III. 4) *Disputatorium iuridicum* diriget.

Cathedra Professoris ordinarii Iuris provincialis Curoniae, Livoniae et Esthoniae, et Cathedra Professoris ordinarii Iuris criminalis, Processus criminalis, Historiae Iuris et Historiae litterariae iuridicae sunt vacuae.

III. SCHOLAE MEDICORUM.

IOANNES CHRISTIANUS MOIER, D., a Consil. Collegior., Ord. Medicorum h. t. Decanus, Chirurgiae et theoreticae et practicae P. P. O., 1) In *Clinico chirurgico exercitationes* dirigit quotidie, h. IX. 2) *Chirurgiae theoreticae priorem partem* docebit, quinquies, h. XII., ad *Ebermaieri* librum. 3) De *fasciis chirurgicis* disseret *Starkium* secuturus, etiam de *fracturis et luxationibus*, ter p. hebd., h. XII.

MARTINUS ERNESTUS STYX, D., a Consil. Imperii, Diaetetics, Materiae medicae, Historiae medicinae et Litteraturae medicae P. P. O., 1) *Materiae medicae partem posteriorem* sexies tradet, h. XII., ad tertiam Pharmacop. castrens. Ruthenicae editionem. 2) *Politiam medicam* bis, h. XI, ad *Berntii* librum Vindob. 1818 editum.

CHRISTIANUS FRIDERICUS DEUTSCH, D., a Consil. Imperii, artis obstetriciae et morborum mulier. et infant. P. P. O., 1) *Artis obstetriciae priorem partem* monstrabit, quotidie, h. IX., duce *Sieboldo*. 2) *Clinicum obstetricium* moderabitur h. IX., etiam manum obstetriciam, quoties in Instituto obstetricio occasio erit, admovere docebit. 3) *De morbis infant.* disseret quotidie, h. III., *Henkio* duce.

IOANNES FRIDERICUS ERDMANN, D., a Consil. Collegior., Therapiae et Clinices P. P. O., 1) quotidie *exercitationes ad lectum aegrotorum clinicas* audita hora X. instituet. 2) diebus Mercurii et Saturni *Clinicum ambulatorium* diriget, lingua Latina usurus. 3) *Therapiam morborum acutorum*, quater per septimanam, audita hora IV., et 4) *Therapiae specialis partem alteram* audita hora V. tradet, easque duce *Heckero*.

LUDOVICUS EMILIUS CICHORIUS, D., a Consil. Aul., Anatomiae et Medicinae forensis P. P. O., 1) *Myologiam, Splanchnologiam et doctrinam de organis sensuum hominis docebit ducibus Loderi, Soemmeringo, Hildebrando, sexies, h. VIII matut.* 2) *Anatomiae cursum priorem aperiet in usum Alumnorum Caesareorum, secundum Blumenbachii et Loderi libros, sexies, h. III.* 3) *Medicinam forensem proponet, duce Mezgero, sexies, h. VI. vesp.* Vid. etiam VI. *Theatrum anatom.*

FRIDERICUS PARROT, D., a Consil. Aul., Physiologiae, Pathologiae et Semiotices P. P. O., 1) *Corporis humani biologiam explanabit, Prochasmae Physiogiam secuturus, sexies p. hebd., h. IX.* 2) *Nosologiam et Semioticam generalem ad librum suum (Dorpati editum 1822) quinques, h. III.* 3) *De oculo humano et sano et aegroto disseret I. Beerium secuturus, quater, h. III.*

* * * * *

JOANNES FRIDERICUS ESCHSCHOLTZ, D., P. P. E. O., Prosector Theatri anatomici, 1) *Anatomiam comparatam* (secundum Cari Zootomiam) ter per hebd., h. IV—V docebit, 2) *Repetitorium Angiologiae, Neurologie et Splanchnologiae* duce Rosenmuellero (*Handb. der Anatomie*), bis per hebd., instituet. 3) *De infusoriis atque entozois disseret, bis per hebd., duce Schweigero (Handbuch der skeletirten ungelgliederten Thiere)* et 4) *Cadavera secandi artem monstrabit horis pomeridianis.*

HERMANNUS KOEHLER, D., privatum docens, 1) *Encyclopaediam et Methodologiam medicam tractabit dieb. Merc. et Saturni secundum Conradii librum, h. IV—V.* 2) *Corporis humani evolutionem, quam dicunt, exponet duce Lucaeo, ter p. hebd.* 3) *Celsum de medicina gratis explicabit, ter per hebd.*

IV. SCHOLAE PHILOSOPHORUM.

IOANNES VALENTINUS FRANCKE, D., a Consil. Aul., Ordinis Philos. Class. I. et III. h. t. Decanus, Historiae litterariae, LL. Gr. et Lat. et Paedagogices P. P. O., 1) *Antiquitates Graecas exponet, secuturus I. C. L. Schaaffium (Encyclop. der class. Alterthumsk., II. Th.)* quater p. hebd., h. II. 2) *Ciceronis Orationes de lege agraria explicabit, quater, h. III.* 3) *In Seminario Paedag. Philol. et Sophoclis Aiacem interpretabitur, et Seminarii Sodales Latine scribendo exercebit, bis p. hebd., h. IV.*

MAURITIUS DE ENGELHARD, D., a Consil. Aul., Ord. Philos. Class. II. et IV. h. t. Decanus, quum Historiae naturalis universae, tum Mineralogiae P. P. O., 1) *Crystallognosiam tradet secundum Brochant de Villiers, bis p. hebd., h. III—V.* 2) *In fossilibus et definiendis et describendis exercebit Auditores, quater p. hebd., h. III.*

GEORGIUS FRIDERICUS PARROT, D., a Consiliis Imperii, Physices et theoreticae et applicatae P. P. O., Ordinis S. Vladimiri quartae Classis Eques, *Physices theoreticae alteram partem, sexies p. hebd., h. XI—XII, ad librum suum (Grundriss der theoretischen Physik)* docebit.

GOTTLIEB BENIAMIN JAESCHE, D., a Consil. Imperii, Philosophiae theoreticae et practicae P. P. O., 1) *Psychologiam et Logicam exponet, illam Iacobo, hanc Kantio duce, sexies p. hebd., h. X.* 2) *Metaphysicam C. C. E. Schmidum secuturus, quater, h. XI.* 3) *Histo-*

riam Philosophiae a medio aevo usque ad nostra tempora narrabit secundum Tennemanni librum, quater horis quas indicabit. 4) Encyclopaediam doctrinarum generalem tradet, suum filum secuturus, bis, h. V. Praeterea Seminarii Paedag. Philol. Sodalium exercitationes didacticas moderabitur, semel p. hebd., h. IV.

CAROLUS MORGESTERN, D., a Consil. Imperii, Ordinis S. Vladimiri quartae classis Eques, Eloquentiae, LL. Gr. et Lat., Aestheticae et Historiae Art. P. P. O., 1) *Politiae Platonis* libros priores interpretabitur ex edit. Astii illa quae prodiit Ienae, 1820, quinques p. hebd. h. IX. 2) *Ciceronis de Finibus Bonor. et Malor.* libb. V. illustrabit, ter p. hebd., h. X. 3) Seminarii Paedag. Philologici Sodales exercabit tum interpretandis locis scriptorum classicorum et Graecorum et Romanorum *de educatione atque institutione puerorum ex Niemeyeri libro*, tum *Latine et scribendo et disputando*, bis p. hebd., h. IV. Vid. etiam *Biblioth. et Museum Art.*

IOANNES GUILIELMUS KRAUSE, D., a Consil. Collegior., Ordinis S. Vladimiri quartae classis Eques, Oeconomiae, Technologiae et Architecturae civilis P. P. O., 1) *Rei rusticae* principia tradet Thaerium secuturus, quater p. hebd., h. X. 2) *Architecturae civilis* principia duce *Gilly*, quater, h. IV. 3) *Ichnographiam architectonicam* monstrabit dieb. Merc. et Sat., h. X.

FRIDERICUS EBERHARDUS RAMBACH, D., a Consil. Imperii, Doctrinarum, quae pertinent ad res quas dicunt camerales, redditus publicos et rem mercatoriam, P. P. O., docebit 1) *Encyclopaediam doctrinarum oeconomico politicarum sive cameralium*, duce Schmalzio, quinques, h. XI. 2) *Doctrinae de redditibus publicis (Finanzwissenschaft)* partem priorem ad dictata, quinques, h. XII.

GUSTAVUS EWERS, D., Universitatis litt. h. t. Rector magnif., a Consiliis Imperii, Ordinis S. Annae classis II. Eques, doctrinarum statisticarum et geographicarum P. P. O., 1) *Historiam rerum publ. antiquarum* narrabit duce *Heerenio* (ed. IV. Goetting. 1821) quinques, h. VIII. 2) *Russorum historiam* usque ad Petri Magni monarchiam librum suum secuturus, iisdem diebus, h. IX.

CAROLUS FRIDERICUS LEDEBOUR, D., a Consil. Collegior., quum Historiae naturalis universae, tum Botanices P. P. O., 1) *Botanicam* docebit ducibus *Decandolle* et *Sprengelio*, quinques p. hebd., h. XII. 2) *Analysin plantarum* monstrabit die Saturni, h. XII.

FRIDERICUS GUILIELMUS CAROLUS DE ADERKAS, a Consil. Aul., Disciplinarum militarium P. P. O., 1) *Isagogen* dabit in disciplinarum militarium studium ad filum suum, bis, h. VIII. 2) *Belli per munimenta gerendi rationem* explicabit duce *Savarto* (Cours élémentaire de fortification) quinques. 3) *Rebus militaribus delineandis* exercabit Auditores die Merc., h. II—IV.

GUILIELMUS STRUVE, D., a Consil. Aul., Astronomiae P. P. O., 1) *Astronomiam sphaericam* docebit duce *Bohnenbergero*, ter, h. X. 2) *De temporis, latitudinis et longitudinis definitione* disseret *Bohnenbergerum* secuturus, ter, h. X. 3) *Trigonometriam utramque* exponet *Gerlingo* duce, bis, h. IV.

MARTINUS BARTELS, D., a Consil. Collegior., Matheseos et purae et applicatae P. P. O., 1) *Mathesin elementarem* tradet sexies p. hebd., *Arithmeticam Brandesio*, *Geometriam Blaschio* duce, h. IX. 2) *Alge-*

bram secundum *L'huillierum* quater, h. VIII. 3) *Calculum differentialem et integralem* duce *Lacroix*, quater, horis indicandis.

BASILIUS PEREWOSTSCHIKOV, D., a Consil. Aul., Ordinis S. Vladimiri IV. Class. Eques, Linguae et Litt. Russ. P. P. O., 1) *Poetas et scriptores prosaicos Russorum* critice illustrabit, auditores praceptis linguae Russicae imbuet, eosque vertendo ex lingua Germanica in Russicam exercebit quater p. hebd., h. V—VII. 2) Seminarii Paedag. Philologici Sodalibus linguae Russicae et descendae et docendae ducem se praebebit, die Mart., h. IV.

GODOFREDUS OSANN, D., Chemiae et theoreticae et experimentalis ac Pharmaceutices P. P. O. design., post impetratam confirmationem, *Chemiam generalem* et *Pharmaceutices partem physiographicam* docebit, quotidie, h. X.

Cathedra Professoris ord. Historiae est vacua.

* * * * *

EDUARDUS EICHWALD, D., privatim docens, 1) *Historiam naturalem generalem*, *Mineralogiam generalem* et *Botanicam*, ducibus Wernerio et Sprengelio, *Zoologiam generalem* ad libellum suum *de regni animalis evolutionis gradibus* Dorpati 1821 editum, tradet sexies p. hebd., h. IV. 2) *Ornithologiam specialem Livoniae, Esthoniae et Curoniae* ad Meyeri librum, bis, h. III.

V. LINGuae HODIERNAE ET ARTES.

- I. Linguas recentiores docebunt Lectores publice constituti, et quidem ex legibus academicis binis quisque p. hebd. horis gratis: 1) *Russicam* **FR. GE. BUNGE**, Classis X., qui formas linguae Russ. gratis docebit bis, dieb. Lun. et Ven., h. V., Syntaxin Russ. die Merc., h. V., praeterea in vertendis edictis Imperatoriis ducem se praebebit hora indicanda. 2) *Francogallicam* **VALLET DES BARRES**, D., Consiliarii titulo ornatus, qui *Colloquia* bis habebit gratis dieb. Lun. et Ven., hor. II., praeterea *de Litteratura Francogall.* disseret bis, dieb. Mart. et Iov., h. II. 3) *Germanicam* et *Italicam* **EDUARDUS RAUPACH**, Classis X., qui elementa Grammatices Germanicae bis p. hebd. gratis, Italicae etiam bis gratis tradet, praeterea *Dantem* bis privatim explicabit, et *Boccacium* bis, etiam Germanice scribendo bis, Italice scribendo bis exercebit Auditores. 4) *Anglicam* **Io. FRID. THOERNER**, Classis X., qui linguam Angl. gratis docebit bis, dieb. Merc. et Sat., h. III., ad privatas scholas insuper paratus. 5) *Letticam* **BENIAMIN ROSENBERGER**, Gymnasii Dorpat. Director. Locus Lectoris linguae Esthonicae vacuus est.
- II. Artium itidem magistri publici binis quisque horis gratis operam suam Studiosis dicabunt. Nam in *Hippodromo academico* modos equitandi ostendet **IUSTUS DE DLAUE**, Artis equestris magister, dieb. Mart. et Merc., h. VII—VIII. 2) *Arma tractandi* regulas dabit **ALEXANDER DUFOUR**. 3) *Saltandi artem* monstrabit **FELIX DE PELABON**. 4) *Artem ichnographicam et chalcographicam* docebit **CAROLUS SENFF**, Professor extraord., publice die Sat., h. II—IV, privatim diebus Lun. et Iov. hor. II—IV. 5) *Artem musicam* **THOMSON**, bis, horis indicandis. 6) *Operis mechanici* magistrum se offert **POLITOUR**.

VI. INSTITUTA PUBLICA.

In *Nosocomio academico*, ut supra iam indicatum est, *I. F. ERDMANN* exercitationes clinicas dirigit; in *Instituto obstetricio C. F. DEUTSCH*; in *Instituto chirurgico I. C. MOIER*. *Theatrum anatomicum* desiderantibus monstrabit *L. E. CICHIORIUS*, collectionem pathologicam *FR. PARROT*.

In *Seminario Paedagogico Philologico* scholas methodologicas et practicas habebunt Directores *C. MORGENSTERN*, *I. V. FRANCKE*, *G. B. IAESCHE* et *B. PEREWOSTSCHIKOV*, quorum primus a) interpretando *Niemeyeri* libro, quo continentur Graecorum et Romanorum scriptorum loci de educationis et institutionis ratione, b) Latine de rebus philologicis scribendo et disputando Sodales Seminarii exercebit, bis per hebd.; secundus a) *Sophoclis Aiac* explicando, b) Latine disserendo et scribendo Sodales exercebit bis per hebd.; tertius exercitationes didacticas de rebus philosophicis moderabitur semel p. hebd.; quartus linguae Russicae discendae docendaeque rationem monstrabit, semel p. hebd.

In *Seminario Theologico H. L. BOEHLENDORFF* et *C. FR. SEGBACH*, h. t. Directores, aequo ac *S. G. R. HENZI*, exercitationes practicas, easque dogmaticas, historicas, exegeticas, homileticas et catecheticas, in Catalogo supra memoratas, instituent et moderabuntur.

Bibliothecam academicam aperiet dieb. Merc. et Sat., hor. II—IV. *CAR. MORGENSTERN*, Bibliothecae acad. Praefectus. Professoribus patet quotidie horis IX—XII. et II—IV. Si quis peregrinator Bibliothecam visere cupiet, Praefectum adibit.

Museum artis qui cupiunt videre, Directori *C. MORGENSTERN* indicabunt; qui *Museum zoologicum*, Directori *C. F. ESCHSCHOLTZ*; qui *mineralogicum*, Directori *M. DE ENGELHARDT*.

Apparatum Physics desiderantibus monstrabit Director *G. F. PARROT*, *apparatum Chemiae I. F. ERDMANN*, usque dum advenerit Chemiae Professor design.

Collectionem formarum technologicarum et architectonicarum monstrabit *I. G. KRAUSE*, *militarium F. G. C. DE ADERKAS*.

Speculam astronomicam monstrabit Dir. *G. STRUVE*, *Collectionem in usum Matheseos applicatae comparatam M. BARTELS*, *Collectionem schole ichnographicae C. SENFF*, *Hortum botanicum* Director *C. F. LEDEBOUR*.

Ostfriesl. Provinz. Blatt. 1823. no. 16. p. 149, 150. (Nept. Titel.)
 "In Provinz Blatt Nr. 16 vom 20. Februar 1823 ist eine Nachricht über einen kleinen Vogel aus der Provinz Ostfriesland abgedruckt. Es handelt sich um einen kleinen Vogel, der in Ostfriesland sehr häufig ist und der nach dem Namen des Autors benannt wird. Der Name dieses Vogels ist 'Ostfriesl. Blaukehlchen'. Er ist ein kleiner Vogel mit blauer Kehle und weißen Flügeldecken. Seine Größe ist ungefähr 10 cm. Er lebt auf den Wiesen und Feldern und ernährt sich von Insekten. Seine Stimme ist ein kurzer, schneller Gesang, der wie ein 'Kuckuck' klingt. Er ist ein sehr geselliger Vogel und findet sich oft in Gruppen zusammen. Seine Nahrung besteht aus kleinen Insekten, die er auf den Wiesen und Feldern findet. Er ist ein sehr schöner Vogel und wird daher sehr geschätzt." (Handwritten notes in German)